



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Libellus Sodalitatis: Hoc Est: Christianarum Institutionum Libri quinque**

**Coster, Franciscus**

**Antverpiæ, 1587**

13 Media ad patientiam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46553](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46553)

Et cum illis conferre. Tali enim comparatione intelligemus, nihil esse quicquid hactenus egimus. Iunabit etiam inspicere perfectionem hominum multorum adhuc viuentium, atque ex eorum vita considerare, quam multa nobis desint.

CAPVT XIII.

MEDIA AD PATIENTIAM.

**P**ATIENTIA est virtus, qua iuxta rationis dictamen, moderatè toleramus aduersa. Ad quam hæc puncta erunt vtilia.

*Primò*, Considerare, nos longè grauiora mala diuersis multorum annorum peccatis commiseruisse; quæ si non in isto mundo, his similibusque afflictionibus; certè in futuro seculo, purgatorij ignibus excoquenda erunt.

*Secundo*, Conferre tribulationes molestiasque nostras cum his quas multi alij, fortasse etiam meliores nobis tolerant. *Scientes* (inquit Apostolus) *eandem passionem ei, que in mundo est, vestre fraternitati fieri.*

*Tertio*, Respicere lucrū, quod ex tribulatione sequetur. Sicut enim operarius, in summis laboribus, consolatur se expectatione mercedis: ita Christianus omnibus molestiis & afflictionibus, gaudere debet spe retributionis. Quia vir bonus, qui filius est Dei, non gratis affligitur: sed sicut filius Dei, dignior est filio Regis: ita maior erit merces laboris atque molestiarum filij Dei in cælo, quam filij Regis in hoc mundo. Nam iuxta personarum dignitatem

gauram

2. Cor. 1.

gnitatem, augentur præmia laborum. Et quidem, in hoc mundo, sicut abundant tribulationes in nobis: ita & abundare solent consolationes. Post mortem verò, quod in præsentibus est momentaneum & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.

2. Cor. 4.

Quartò, Cogitare, quid ex impatiëntia leuaminis sentiemus. Non enim ob id dolor minuitur, sicut molestia tollitur, quia impatiëntiæ signa edimus; sed potius augetur, quod ad cætera mala etiam consciëntiæ vulnus addamus. Ergo faciamus de necessitate virtutem, patienterque feramus, quod iuxta Dei voluntatem ferendum videmus.

Iob 1.

Lib. 2.

moral.

cap. 18.

Quintò, Oculis fidei ad Dei voluntatē omnia referre, quæ patimur; neque imputare hominibus ullis mala illata, sed Deo; quo auctore nobis omnia eueniunt. Sicut B. Iob tam magno à variis accepto detrimento, nihil de ullis inimicis conquestus, dixit: *Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: Sit nomen Domini benedictum.* D. Gregorius, Magna est (inquit) consolatio in eo quod displicet, quod illo ordinante erga nos agitur, cui non nisi iustum placet. Si igitur iusta placere Deo scimus; pati autē nisi quæ Domino placuerunt, non possumus: iusta sunt cuncta, quæ patimur: & valde iniustum est, si de iusta passione murmuramus.

CAPVT